

Conc. Carthaginense IV. l. c. primo tamen, secundo, et tertio Sæculo nondum adhibebatur, nullum enim est monumentum, quo id possit probari (1); Immo Alcuinus in lib. *de Divinis Offic.* scripto de anno 760, asserit cæremoniam illam non fuisse adhibitam ab Ecclesia Romana, sicuti nec fuit adhibita a Germanis initio sæculi IX, ut scribit Amalarius l. 2, *de Officiis ecclesiasticis* cap. 14 (2). Sic etiam unctio Episcopi, licet sit antiquissima, utpote recensita a S. Leone serm. 8, *de Passione Domini*, et a S. Gregorio Magno in cap. decimo primi libri *Regum*; non fuit tamen semper, et ubique in usu, utpote non memorata a suprascripto Concil. Carthaginensi IV, in cit. c. *Episcopus cum ordinatur* 7, dist. 23, nec a Conciliis Hispanicis celebratis ante septimum Sæculum, nec illam adhibent Græci. Practice tamen non est tenendum materiam Episcopatus esse solam manuum impositionem; Fagnan. loc. cit. num. 57. La Croix loc. cit. n. 2148, et alii. (7. Secunda pars conclusionis deducitur ex majori congruentia, quia nihil convenientius assignari potest pro forma Episcopatus, quam verba ipsa prolata tempore applicationis materiæ; tempore autem applicationis materiæ proferuntur *Accipe Spiritum Sanctum*, et non alia; Fagnan. loc. cit. n. 59, unde credibile est D. Paulum ordinando Timotheum, illa verba adhibuisse, cum Concil. Trident. sess. 23, can. 4, sic dicat: « Per Sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde Episcopum non frustra dicere: *Accipe Spiritum Sanctum*, » et hoc præsertim colligat ex verbis Apostoli adhibitis in ordinatione Timothei in Episcopum.

(8. Episcopatus secundum aliquos fuit institutus quando, Joan. cap. 21, vers. 18, Christus dixit Petro: *Pasce oves meas*: fuit enim Petrus primus Episcopus a Domino institutus, et quidem Episcopus universalis Ecclesiæ per dicta verba: *Pasce oves meas*, ut scribit Fagnan. loc. cit. num. 85, adducens cap. *Considerandum* 53, et cap. *Fidelior* 54, dist. 50, cap. *Significasti* 4, *de Election.* et Glossam in cap. *In novo testamento* 2, dist. 21. Aversa tamen quæst. 2, sect. 10, probabiliter dicit institutum fuisse cum Sacerdotio. Vide La Croix loc. cit. num. 2207. (9. Episcopatus probabiliter conferri non potest eodem die cum presbyteratu. Campanil. in divers. juris Canon. rub. 6, cap. 4, num. 5. Innocent., S. Antonin., Suarez, Barbosa, Aversa quos citat, et sequitur La Croix loc. cit. num. 2296, dicens, quod cum tam novus

(1) Quod ad alia spectat, Auctori nostro plurimi assentiantur cum ex Canonistis, tum ex Theologis: sed quod ad impositionem pertinet codicis Evangelii super caput ordinandi, bene multi cum Tournello repugnant. Dixi quod ad impositionem codicis Evangelii super caput ordinandi. Neque enim hæc confundenda est cum traditione ejusdem Codicis clausi, quam apud Latinos consecrator accepto illo de scapulis consecrati, et adjuvantibus Episcopis assistentibus facit consecrator. « Est quippe traditio hæc, ut ait Morinus Exercit. 2. c. 2. num. 5, res nupera quam nulli rituales ante quingentos annos scripti,

Sacerdos, quam novus Episcopus debeat celebrare cum Ordinante, saltem ex hoc capite fieri non posse; sed nostra vera ratio desumitur ex Conc. Trid. prohibente conferri eidem duos sacros Ordines eodem die. Cum enim dixerimus, probabiliter Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem realiter distinctum ab Ordine Presbyterali, consequenter tenemur dicere, probabiliter non posse conferri eodem die cum Presbyteratu, cum Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 13, expresse prohibeat conferri eidem duos Sacros Ordines eodem die, ibi: « Duo Sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. » (10. Ordo Episcopatus debet conferri die Dominica; c. *Qui in aliquo* 5, dist. 51, ibi: « Die Dominico consecrabitur, » et concordat c. *Ordinat.* 1, et c. *Quod die Dominico* 5, dist. 75.

(11. Episcopatus cum Cardinalatus officio incompatibilis olim censebatur, nec alii Episcopi inter Cardinales erant, præter septem prius, postea vero sex suburbicarii. Dein tamen usus invaluit, ut etiam Card. Cathedralibus Ecclesiis præficerentur; idque approbatum fuit a Conc. Tridentino, dummodo ipsi Cardinales apud suas Ecclesias residerent. Benedictus XIV, tom. 2. Constitution. 36, incip. *Cum a Nobis*.

(12. Episcopatus Titulares Ecclesiarum in partibus infidelium recte conferuntur, dummodo hujusmodi Episcoporum opera aliquam Ecclesiæ utilitatem afferat. Idem ibid. Episcopatus Titulares posse conferri Cardinalibus fuse probat idem Pontifex ib. adducens ad id jura, congruentias, et exempla.

(13. Episcopatus non extinguitur per extinctionem Capituli. Idem tom. 2. Const. 35, incip. *Notum tibi*.

#### ADDITIONES CASINENSES.

(14. Sæculo Ecclesiæ quarto Aerius « dogma furiosum, » ut illud vocat Epiphanius, in Ecclesiam innoxit, hisce verbis scribens: « Quanam in re presbyteros episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum onus, ordo, par et idem honor, ac dignitas. » Hanc Aerii hæresim renoverunt Wicleffita, Waldenses ac Presbyteriani. Cum vero Episcoporum præstantia super presbyteros vel circa Ordinis vel circa jurisdictionis potestate considerari debet, hinc de Ordinis potestate prius agemus, deinde vero de jurisdictionis potestate.

nulli auctores ante idem tempus commemorant. » At impositio Codicis antiquo nititur, et conformi utriusque Ecclesiæ Græcæ, et Latine usui, atque consensui. (EDIT. BARBIELL.)

(2) « Alcuino, et Amalario, inquit idem Morinus Exercit. 2. c. 1. num. 6, contradicunt plures Rituales, quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior, alii cœvi. » Immo ipse Amalarius, licet ejusmodi impositionem non probet, mysticam tamen illius interpretationem non omittit. Vide etiam Menardum ad librum *Sacramentorum* San. Gregorii p. 504. (EDIT. BARBIELL.)

Tridentini Patres sess. XXIII, can. VII, definiunt: « Si quis dixerit, episcopos... non habere potestatem... ordinandi; vel eam, quam habent, illis cum presbyteris esse communem, anathema sit. » Ex qua quidem definitione duo colligimus; quorum alterum est episcopos habere potestatem ordinandi, alterum vero est, illam, quam habent potestatem, cum presbyteris non esse communem. Præstant ergo Episcopi Ordinis potestate presbyteros. Canon vero Tridentini Scriptura Sacra, traditione, perpetuaque Ecclesiæ praxi innitur: sane ex Scriptura, traditione et Ecclesiæ ritualibus patet nunquam a presbytero aut episcopos, presbyteros, aut diaconos fuisse initiatos.

#### EPISCOPUS.

##### SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Episcopus quoad ejus nomen, originem et dignitatem.*

1. Nomen Episcopi est nomen græcum idem importans ac latine speculator, vel superintendens. — 2. Episcopus vocatur *Summus Sacerdos* ratione Ordinis ad differentiam simplicium Sacerdotum. — 3. Episcopus dicitur *Præsul*, quia in Concilia præsidet. — 4. Dicitur *Antistes*, quia ante alios stans præminet populo. — 5. Dicitur *Pontifex* a posse, et facere. — 6. Dicitur *Legatus Christi*, quia tanquam Christi Legatus destinatur ad regendas animas. — 7. Vocatur *Pastor* ab Officio, quod habet pascendi oves sibi commissas verbi Dei prædicatione, et Sacramentorum administratione. — 8. Vocatur *Præco*, quia annuntiat populo scelera eorum. — 9. Vocatur *Medicus*, ut sciat temperare vinum oleo in curandis vulneribus. — 10. Appellatur *Lucerna* super candelabrum posita, ut omnibus luceat probitatis, et doctrinæ radiis. — 11. Appellatur *Sal terræ*, ut condiat aliorum mores sapientissimis institutis, ac præceptis. — 12. Appellatur *Angelus*, quia mittitur ut nuntius prædicaturus verbum Dei. — 13. Vocatur *Sacratissimus*, quia talis debet esse, ut alios ad sanctitatem alliciat. — 14. Hinc communiter tenetur, quod Status Episcopalis perfectior sit, quam status Religionis, et Episcopus debet esse sanctior Religioso. — 15. Ordo Episcopalis, quamvis quoad rem sit unus solus, tamen quoad nomen, et gradum est quadripartitus in Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis. — 16. Patriarcha est nomen græcum idem importans ac latine Summus, seu Princeps Patrum. — 17. Patriarchæ præcipui, et veri in principio fuerunt tantum quatuor. — 18. Præter dictos quatuor primarios reperiantur etiam alii Patriarchæ non ita Principales. — 19. Patriarchæ, et Primates, late sumpto vocabulo idem sunt, licet differant nomine. — 20. Strictè tamen loquendo Primates non idem habent Officium, eamque auctoritatem, quam habent Patriarchæ. — 21. Unde Primates rigore loquendo dicuntur nonnulli Metropolitanis, qui primarias tenent Civitates, et majores regunt Metropoles. — 22. Enumerantur varii similes Primates. — 23. Metropolitanus sic dicitur a *Mitros*, quod idem sonat quod *Mater*, et *Polis*, quod idem sonat quod *Civitas*, est ille, qui residet, et Episcopatum gerit in Metropoli, seu Civitate præcipua, quæ est veluti Mater, seu Matrix aliarum Ecclesiarum, seu Civitatum totius Provinciæ. — 24. Archiepiscopus sic dicitur tanquam Primus, seu Princeps omnium Episcoporum. — 25. Archiepiscopus sic captus idem est ac Metropolitanus. — 26. Non tamen omnis Archiepiscopus est semper Metropolitanus, sicuti omnis Metropolitanus est semper Archiepiscopus. — 27. Episcopus est nomen græcum idem importans ac latine speculator, vel superintendens. — 28. Sub

Quod vero spectat ad episcoporum inter presbyteros præstantiam quæ consistit in jurisdictionis potestate, res quoque de fide est, ut patet ex Tridentina Synodo sess. XXIII, Can. VII, his verbis definiens: « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores... anathema sit. » Licet vero Tridentini Patres hanc præstantiam *jure divino* expresse definire noluerunt, quemadmodum nos docet Pallavicinus *Storia del Concilio di Trento* lib. 18, cap. 14, attamen penes omnes Catholicos certum atque ratum est, Episcopos presbyteris *jure etiam divino* præstare.

nomine Episcopi Ecclesia semper eos intellexit, qui sunt Presbyteris superiores. — 29. Episcopi successerunt in locum Apostolorum, et Presbyteri in locum Discipulorum. — 30. Quamvis in primitiva Ecclesia Episcopi, et Presbyteri non distinguerentur quoad nomen; tamen quoad rem semper fuit distinctio inter ipsos, etiam tempore Apostolorum in primo exordio Ecclesiæ. — 31. Episcopus superiores esse Presbyteris expresse declarat Concilium Tridentinum, et subjicit anathemati contrarium sustententes. — 32. Episcopus appellatur *Ordinarius*, quia ordinariam in sua Diocesi habet jurisdictionem. — 33. Appellatur *Diocesanus* respectu, et ratione suæ Diocesis. — 34. Ecclesia Episcopalis dicitur Cathedralis, quia ibi Cathedra Episcopalis, et sedes sita est. — 35. Dicitur *Suffraganeus* respectu Metropolitanis, cui subditur, et suffragatur in Officio Episcopali. — 36. Chorepiscopi non erant Episcopi, nec eorum Ecclesiæ erant Cathedrales. — 37. Chorepiscopi præficerentur solum Villis, et Oppidis; Episcopi autem in Villis, Pagis, seu locis inferioribus collocati numquam fuerunt. — 38. Chorepiscopi erant Vicarii Episcoporum, et in Oppidis, et Villulis gerebant curam animarum vice ipsorum eodem fere modo, quo nunc Parochi. — 39. Conferrebant Ordines minores. — 40. Aliqui eorum consecrabantur, et creabantur Episcopi, et isti non solum Ordines Minores, sed et Majores conferrebant, et alia munia Episcopalia obibant, non ex vi Chorepiscopatus, sed virtute Ordinis Episcopalis, ad quem erant promoti, et consecrati, et sic vice ipsorum ministrabant, sicuti faciunt hodie Episcopi Titulares seu Coadjutores. — 41. Chorepiscopi fuerunt aboliti, et ablati ab Ecclesia Dei ob illorum insolentiam, et ambitionem, qua Episcoporum officia sibi temere usurpabant, et ne tertius Ordo in Ecclesia poneretur. — 42. Quamvis Apostolos omnes a Christo Domino fuisse ordinatos Episcopos sit valde controversum: tamen communior opinio tenet, Sanctum Petrum solum fuisse immediate a Christo Domino Episcopum consecratum. — 43. Sanctus Petrus alios Apostolos in Episcopos consecravit, ex quibus primi fuerunt filii Zebedæi, Jacobus scilicet, et Joannes, quorum interventu facta fuit consecratio Jacobi Alphaei in Episcopum Hierosolymitanum. — 44. Alios item Apostolos tempore discessionis ad prædicandum Evangelium Episcopos ordinavit. — 45. Episcopi antiquiores sunt Cathedralibus. — 46. Episcopi positi sunt in Civitatibus loco Flaminum et Archiflaminum ad tollendum veterum Idolorum Cultum. — 47. Flamines antiquitus erant Sacerdotes, et ab illo Deo, cui Sacrificia faciebant, nomen accipiebant. — 48. Dicti sunt Flamines a filo lineo, quo caput tegebant, unde Flamines, quasi Filamines vocabantur. — 49. Sicut Flamines erant in magna veneratione, primumque locum post Regem sacrificulum in Conviviis tenebant, sic Episcopi præ cæte-

ris dignorem obtinent locum. — 50. Episcopus enim nomen est dignitatis, Presbyter vero nomen est ætatis. — 51. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus attendi debet secundum tempus Ordinationis, non secundum dignitatem Ecclesiarum. — 52. 55. Ad quænam excitentur Episcopi. — 56. Episcopalis Ordo præstat dignitati Cardinalis. — 57. Episcopatus nihil superaddit Sacerdotio per relationem ad Corpus Domini verum. — 58. Titulus *Venerabilis Frater* est annexus characteri Episcopali. — 59. Quinam Episcopatu indignus. — 60. Epistola Encyclica Clementis XIII. — 61. 62. Quomodo primitus Episcopi appellabatur. — 63. 66. Prima eorum sedium institutio. — 67. 69. De Episcopis in partibus Infidelium.

ARTICULUS II. — *Episcopus quoad ea, quæ concernunt ejus electionem, confirmationem et consecrationem.*

1. Episcopi olim eligebantur a toto Clero, accedente presentia, et consensu populi. — 2. Plurimi tamen sustinent populos, et Principes intervenisse electionibus Episcoporum, nedum per presentiam, acclamationem, et consensum, sed etiam per propria vota et suffragia. — 3. Quidquid observatum fuerit in primis Ecclesiæ temporibus, nunc certum est, Laicos non habere suffragia in talibus electionibus. — 4. Et Electio Episcopi per Laicos, etiam cum Canonis facta, est nulla non obstante contraria consuetudine. — 5. Separatis progressu temporis Clericis a Religiosis, qui omnes ad electionem Episcoporum concurrere, fuit exinde statutum, ut Religiosi suorum Abbatum, aliorumque Superiorum, Canonici vero Cathedralium suorum Episcoporum facerent electionem. — 6. Talis facultas eligendi Episcopos duravit in Capitulis, et Canonis Cathedralium usque ad tempora Clementis V. et exinde cepit reservari Sedi Apostolicæ. — 7. Exceptis tamen Regnis, et Principatibus privilegiatis, ubi Reges, et Principes per specialia concordata Episcopos nominant, et præsentant ab ipso Summo Pontifice instituendos. — 8. Et exceptis Cathedralibus Germaniæ, ubi servatur vetus consuetudo canonicæ electionis, ut Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, et Archiepiscopos eligat, et electi a Romano Pontifice confirmantur. — 9. Electio Episcopi faciendæ non est ante diem tertium a morte Episcopi. — 10. Electus in Episcopum debet intra mensis a presentatione electionis præstare consensum, alias mense elapso redditur nulla electio. — 11. Et intra tres menses a consensu præstito debet petere confirmationem, alias elapsis tribus mensibus electio eo ipso est nulla. — 12. Sufficeret tamen ad evadendam talem pœnam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret, quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses. — 13. Tres menses computari debent, prout in Calendario occurrunt, incipiendo scilicet a die præstiti consensus, et dies, qui desunt ex uno mense, accipiuntur de sequenti. — 14. Confirmatio Episcoporum olim poterat fieri a suis respective Metropolitanis. — 15. Hodie tamen, non ab alio, quam a Romano Pontifice fieri potest. — 16. Assignatur praxis servari solita in Curia pro hujusmodi electione, et confirmatione faciendæ. — 17. Traditur forma instrumenti professionis Fidei factæ per Episcopum. — 18. Professione Fidei emissa subscribitur processus a Cardinali ponente, et a tribus Cardinalibus Ordinum capitibus. — 19. Præconizatio in primo Consistorio quomodo faciendæ ostenditur. — 20. Præconizatio in secundo Consistorio facta transmittitur fides provisionis Apostolicæ a Cardinali ponente ad Cardinalem Vicecancellarium. — 21. Electus, et canonicè confirmatus tenetur intra tres menses a die confirmationis munus consecrationis suæ suscipere sub pœna amissionis fructuum, etiam si Sanctæ R. E. Cardinalis, et si intra tres alios menses id non im-

pleverit, Ecclesia et Episcopatu ipso jure privatur. — 22. Dictum trimestre tempus, infra quod Episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere a tempore habitæ notitiæ confirmationis de sua electione factæ. — 23. Consecratio Episcopi debet fieri die Dominica. — 24. Consecratio Episcopi non debet fieri a minori numero quam trium Episcoporum, saltem necessitate præcepti. — 25. Et si in Provincia non adsint tot Episcopi, accersendi sunt ex vicina Provincia. — 26. Valida tamen est consecratio Episcopi facta ab uno solo Episcopo ex dispensatione Apostolica assistentibus duobus Sacerdotibus. — 27. Fagnanus tamen cum pluribus aliis tenet, quod consecratio Episcopi necessario faciendæ sit a tribus Episcopis ex necessitate Sacramenti. — 28. Papa potest mutare formam traditam ab Apostolis pro consecratione Episcopi. — 29. Et Papa solus ordinando videtur dispensare super tali forma. — 30. Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si Sacerdotium non præcesserit, invalida sit Ordinis Episcopalis collatio. — 31. Multi tamen tenent validam esse collationem Ordinis Episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos. — 32. Ante consecrationem non potest Episcopus exercere ea, quæ sunt Ordinis, sed tantum ea, quæ sunt Jurisdictionis. — 33. Non consecratus Ordines conferre non potest. — 34. Potestatem conferendi Ordines accipiunt Episcopi in consecratione. — 35. Potestas, quæ confertur Episcopo per consecrationem, est indelebilis, nec potest ab Ecclesia auferri, unde remanet in Episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito, et degradato. — 36. Jurisdictionem accipit Episcopus in confirmatione, etiam ante consecrationem. — 37. Episcopus electus, et confirmatus etiam ante consecrationem potest concedere Indulgentias. — 38. Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium, et decorem Ordinis Episcopalis. — 59. In concernentibus autem Jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel pronunciat per Papam. — 40. Episcopi appellatione venit etiam non consecratus in materia proportionabili tam confirmato, quam consecrato. — 41. Provisio, seu Pronunciatio Papæ in Consistorio habet vim electionis, et confirmationis. — 42. Provisi, seu Pronunciati a Papa in Consistorio appellantur promoti etiam non dum fuerint consecrati. — 43. Provisi, quamvis consecrati, nequeunt accedere ad Ecclesias ante levatas Bullas, et contrafacientes subsunt gravissimis pœnis. — 44. Civitas interficiens suum Episcopum consecratum privatur Sede, et dignitate Episcopali. — 45. Non privatur tamen tali Episcopali dignitate Civitas interficiens Episcopum solum electum, et nondum consecratum. — 46. Cum consecratur Episcopus inungitur chrismate in capite, et manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum. — 47. Ungitur Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput, et Principem Ecclesiæ suæ. — 48. Reges quare non in capite, sed in humero unguantur? — 49. Ungitur Episcopus in manibus, ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, et consecrandi. — 50. Annulus Sacer traditur novo Episcopo, ut sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat. — 51. Mitra quid indicet, et quare ipsi imponatur. — 52. Baculus Pastoralis quare tradatur in manibus novi consecrati, et quare tali baculo Pastoralis non utatur Summus Pontifex? remiss. — 53. Episcopus electus et confirmatus petere debet consecrationem intra tres menses. — 54. Nunquam Diaconus in Episcopum electus. — 55. Episcopus eligi nequit, nisi saltem per sex menses in S. Ordine fuerit constitutus. — 56. Probabiliter unus Episcopus sufficit in consecratione Episcopi. — 57. Irritæ declarantur pactiones initæ a Capitulo electore et juratæ ab Episcopis electis in Germania. — 58. Alia de Con-

secratione Episcopali. *Remissive.* — 59. 74. Pauca de historia Electionis Episcoporum a primordio Ecclesie.

ARTICULUS III. — *Episcopus quoad ea, quæ concernunt ejus residentiam, translationem, et renunciationem.*

1. Episcopi etiam Cardinales tenentur de Jure Divino residere in suis Episcopatibus. — 2. Affertur, et solvitur instantia. — 3. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariæ continuitatis residendi in Diocesi, et tales causæ assignantur, et explicantur, usque ad n. 7. — 8. Episcopus pro evidenti utilitate suæ Civitatis, aut totius Regni potest esse Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei sive etiam pro pace componenda. — 9. Episcopus evidente Republicæ exigente utilitate potest etiam esse Legatus, seu Orator Principis secularis. — 10. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi a residentia sui Episcopatus, ut in Curia Regum fungatur munere et Officio Regii Præsidii, Consiliiarii, Proregis, Confessarii, et hujusmodi, si ad hæc munera alii satis idonei non inveniantur. — 11. Affertur Cardinalis a Turrescremata in Episcopos non residentes. — 12. Decretum factum pro Parochorum residentia, quod teneantur ministrare etiam tempore pestis, et cum periculo vite, saltem Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ, multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. — 13. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, etiam tempore contagii. — 14. Potest Episcopus residere in qualibet parte Diocesis, modo vadat ad Cathedralium temporibus præscriptis a Sacro Concilio Tridentino. Residentes tamen in aliqua parte suæ Diocesis propter intemperiem aeris Civitatis non debet remove Vicarium, et Tribunal a Civitate. — 15. Episcopus ex causa maliæris, cui subjacet Civitas Episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra Diocesim ultra trimestre, etc. — 16. Super residentia Episcoporum edita est specialis Constitutio ab Urbano VIII, et summarie refertur. — 17. Primo igitur Sanctitas sua innovat Decreta Concilii Tridentini, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Consistorialia super residentia Episcoporum. — 18. Secundo jubet jam Præfectos Cathedralibus, et majoribus Ecclesiis, etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos, si extra Urbem in Italia, si extra Italiam infra quatuor computandos a die publicationis Bullæ. Nondum autem Præfectos infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis, et transgressores subjiciuntur gravibus pœnis. — 19. Variæ pœnæ contra Episcopos non residentes fuerunt statutæ a Pio IV. — 20. Tertio declarat contrafacientes non excusari a pœnis prætextu servitii Imperatoris, aliorumque Principum, aut Regum, defensionis litium, etiam Ecclesiarum, ineundi fœderis, etc. — 21. Quarto excipit casum interessendi in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, quibus Ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut Republicæ officii Ecclesiis adjuncti. — 22. Quinto declarat S. R. E. Cardinales priores in Ordine habentes Episcopatus prope Urbem, etiam in illis, vel in Urbe in suis titulis residerent, non excusari a residentia in Cathedralibus, et Majoribus Ecclesiis, quibus præfecti sunt, nec ex eo quod Papa eos videat et toleret, etc. — 23. Sexto præcipit Auditori Cameræ, ut summarie procedat adversus non residentes usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam sibi reservavit in Consistorio. — 24. Septimo indulget, ut existentes ultra montes abesse possint ex causa visitationis Liminum pro septem menses, et citra montes per quatuor, dummodo eo tempore

ad alios actus non divertant. — 25. Octavo indulget Cardinalibus præfectis Cathedralibus, et aliis majoribus Ecclesiis, ut vacante Sede Apostolica possint ad Conclave accedere, et in Urbe commorari usque ad peractam electionem, et per duos menses post Coronationem Pontificis, etc. — 26. Nono declarat eos, qui pluribus Ecclesiis præsent, excusari quidem a pœnis, dummodo resideant in earum altera, in qua tenentur de jure, non tamen propterea excusari Cardinales habentes aliquem ex sex Episcopatibus prope Urbem, qui teneantur residere in aliis, quibus præfecti sunt. — 27. Ultimo statuit, ut nemo possit prædictam Constitutionem interpretari, aut declarare præter Romanum Pontificem. — 28. Episcopus æqua ex causa potest abesse a sua Ecclesia, et Diocesi singulis annis per duos, vel tres menses, sive continue, sive interrupte absque alia Superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus Adventus, Quadragesimæ, et Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus. — 29. Episcopus abesse potest a sua Ecclesia, et Diocesi per tres menses etiam causa animi relaxandi. — 30. Nec trimestre spatium, quo Episcopis æqua ex causa singulis annis a suis Ecclesiis abesse licet ex cit. Decret. Concil. Trident., fuit sublatus ab Urbano VIII, in cit. Constit. incipient. *Sancta Synodus.* — 31. Episcopi temporibus a Tridentino præscriptis tenentur quidem apud suam Cathedralium Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant nisi munia Episcopalia in sua Diocesi eos alio vocent; cæteram non incidunt in pœnas ab ipso Tridentino Episcopis non residentibus inflictas. Non licere tamen ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa statuit novissime Benedictus XIV. — 32. Episcopus, dum residet, non potest citari ad comparandum in Curia, nisi de Papæ commissione. — 33. Episcopus residens in sua Diocesi liber est a residentia suarum Dignitatum, et Beneficiorum simplicium, quæ obtinet in alia Diocesi. — 34. Episcopus absens non gaudet Beneficio Alternative, etiam quando abest ex causa a Concilio approbata. — 35. Episcopus absens a sua Diocesi ultra tempus a Jure statutum, qui commonitus non redit ad residentiam, videtur habere Ecclesiam pro derelicta, et potest ea spoliari per Papam sine citatione, et sententia. — 36. Condicio Personæ excusat interdum Episcopum a personali residentia, etc. — 37. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis. — 38. Episcopus, qui Beatorum Apostolorum limina visitavit in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde nec Visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse. — 39. Episcopo, qui antea per multum temporis, V. G. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit, et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permessa se abstinit, nequit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, si non absit ulla causa ex approbata ab eodem S. Concilio. — 40. Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papæ fieri potest. — 41. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam, carere debet utraque. — 42. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus, et confirmatus. — 43. Metropolitanus, aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papæ transferret, a confirmatione Episcoporum esset suspensus. — 44. Causæ justæ transferendi Episcopum generatim sunt duæ, scilicet necessitas, et utilitas. — 45. Translatio facta in favorem solius translati, et maxime propter ejus ambitionem, et avaritiam, improbat expresse a sacris Canonibus. — 46. Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere. — 47. Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam. —

48. Ob causas peculiare potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam, quamvis hæc non sit major altera, immo ab Ecclesia Archiepiscopali ad Episcopalem. — 49. Archiepiscopo, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatu, licite de Episcopatu vacante provideri potest. — 50. Secus autem, si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu, seu priori Episcopatu, locupletiore. — 51. Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus, non potest transferri invitatus ad alium Episcopatum. — 52. Episcopus confirmatus, et nondum consecratus, si transferri recusat, satis est, quod omnino cedat dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum. — 53. Character Sacramentalis non imprimatur præcise coacto. — 54. Episcopus consecratus ex rationabili, et justa causa potest a Papa transferri invitatus de una in aliam Ecclesiam. — 55. Affertur ratio. — 56. Quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui superiori transferenti non potest resistere, cum velle, aut nolle non habeat. — 57. Papa in Beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi. — 58. Varii gravissimi Doctores tenent, quod Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, possit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris Ecclesiæ absolvi; non tamen transferri. — 59. Affertur sua ratio. — 60. Quando Episcopus sciens, et volens transfertur, prior Sedes Episcopalis vacat illico a die factæ in Curia, seu Consistorio Papæ translationis. — 61. Affertur ad hoc decretum notabile Sacre Congregationis Episcoporum. — 62. Si transfertur Episcopus absens, et ignorans, non vacat prior Ecclesia ante præstitum a translatione consentum, nisi seorsum exprimat a Papa. — 63. Episcopus translatus potest secum deferre fructus jam perceptos. — 64. Episcopus translatus potest secum asportare etiam bona sua immobilia acquisita in priori Ecclesia, seu ex eius fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint Ecclesiæ dedicata. — 65. Fructus pendentes, et inexacti non pertinent ad Episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut futuro successorii asservari. — 66. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui tenent quod fructus etiam pendentes propter spiritualia ministeria Ecclesiæ exhibita pertineant pro rata temporis ad Episcopum translatum. — 67. Renuntiatio Episcopi non valet, nisi per Papam fuerit admissa. — 68. Causæ, ob quas Episcopus potest renunciare Episcopatu, et Papa solet admittere renunciationem, sunt sex, et enumerantur. — 69. Renuntiatio Episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renunciando loco tantum, et renunciando loco, et dignitati. — 70. Assignatur, quando fiat renunciatio Episcopatus renunciando loco tantum. — 71. Assignatur, quando fiat renunciatio Episcopatus renunciando loco, et dignitati simul. — 72. Episcopus similiter renunciens Episcopatu censetur in dubio renunciasse loco tantum, non autem loco, et dignitati simul, nisi propter criminis conscientiam; seu ex metu Depositionis ita renunciaverit. — 73. Renuntiatio non subtrahit Episcopo Ordinem, sed solum executionem Ordinis. — 74. Nequit Episcopus renunciare Characteri Episcopali, neque ab Ecclesia potest ipsi auferrî: unde tamquam indelebilis remanet in Episcopo etiam Excommunicato, hæretico, deposito, et degradato. — 75. Episcopus qui renuntiavit Ordini, seu dignitati, potest de licentia Papæ executionem reassumere sine nova consecratione. — 76. Episcopus, qui renunciavit Episcopatu quoad locum tantum, potest conferre Ordines etiam majores. — 77. Dummodo tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo. — 78. Aliter si ordinaret sine proprii Episcopi licentia, ab eo Ordinati essent suspensi. — 79. Episcopus, qui renunciavit Episcopatu quoad locum, et dignitatem simul, nequit licite Ordines Sacros conferre. — 80. Si autem de facto ordinaret, quamvis illicitè, valide tamen ordinaret.

— 81. Ordinati tamen ab ipso remanent suspensi ab exercitio, et usu Ordinum receptorum, donec cum eisdem fuerit legitime dispensatum. — 82. Cum ordinatis a tali Episcopo ignoranter ad Sacros Ordines dispensat Episcopus suus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Ordines Episcopus non dispensat. — 83. Episcopus qui renunciavit Episcopatu quoad locum, et dignitatem simul, potest conferre Ordines minores, nedum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandum Episcopi id faciat. — 84. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum Ordinum, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire; unde ab ipso sunt dispensati. — 85. 99. Nonnulla quoad Episcoporum absentiam. — 91. 94. Benedicti XIV sententia de non concedenda coaccervatione plurium Episcopatum in una persona. — 95. 96. An admittenda Episcopatum resignationes. — 97. Episcopus translatus frui potest redditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque dum non solvatur a Pontifice ejusdem vinculo. — 98. Post absolutionem non potest conferre vacantia Beneficia prioris Ecclesiæ. — 99. Antequam Episcopo innotuerit papalis absolutio, jurisdictione pollet quoad regimen, non vero quoad Beneficiorum provisionem. — 100. Si Episcopus tuccidat in captivitate, administratio transit in Capitulum. — 101. 111. Alia quoad residentiam, translationem, et renunciationem Episcoporum.

**ARTICULUS IV.** — *Episcopus, quoad ea, quæ concernunt ejus Præcedentiam, Sedem, Celebrationem, et Pontificalia.*

1. Episcopi ubique gentium habent locum a Protomotiariis Apostolicis, etiamsi solum electi, et confirmati. — 2. Episcopus, licet Titularis, qui retinet Canoniatum, vel Dignitatem in aliqua Cathedrali, debet præcedere omnibus aliis Dignitatibus, et Canonici etiam ipso antiquioribus. — 3. Episcopus prius promotus, seu electus ad Episcopatum debet præcedere alteri Episcopo post ipsum promotum, et electo, etiamsi sit dignior, et illustrior. — 4. Circa præcedentiam inter suffraganeos Episcopos Latinorum, et Episcopos Græcos cæteris paribus nulla alia ratio habenda est, quam temporis, et promotionis ad Episcopatum. — 5. Episcopus Diocesanus in sua Ecclesia, et Diocesi in functionibus Episcopalibus præferendus est omnibus Archiepiscopis, et Episcopis, etiam ipso antiquioribus, et Dignioribus, Metropolitanis suo tantum excepto. — 6. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum. — 7. Episcopus debet habere pacis osculum ante Præsidentem, et Consiliarios Regios, et omnes alios. — 8. Et quod Episcopus præcedere debeat quoscunque, etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, et Diocesi, late, et solide probat Pignatelli pluribus adductis Juribus, et Conciliis. — 9. Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere. — 10. Episcopus in omnibus suæ Diocesis Ecclesiis quantumvis exemptis, et privilegiatis, est honorandus, eique in Choro, in Capitulo, et Processionibus, ac in aliis actibus publicis primus locus, ac prima Sedes, quam ipse elegerit, danda est. — 11. Episcopus debet habere Sedem pulchriorem, et majorem, quam Gubernurator Civitatis, non tamen coloris rubei. — 12. Episcopi Sedes debet esse immobilis, et fixa. — 13. Episcopi Sedes semper est ornanda. — 14. Episcopi Sedes apud parietem contra Altare constituenda, et locanda est cum decenti ornamento, et apud Sedem Episcopi hinc inde sedes pro Dignitatibus, et Canonici deponi debent. — 15. Potest tamen Episcopus sibi Sedem in Ecclesia extra Chorum, ubicunque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonici locus pareatur. — 16. Episcopus ad matutinum in nocte Nativitatis potest sedere, vel in Sede Chori, vel in Sede Episcopali a

cornu Evangelii, prout melius sibi videbitur, et magis populo satisfecerit. — 17. Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitræ habens etiam sedem tenet, est collocanda in cornu dextro uno gradu eminentiori. — 18. Episcopus tantum, et non alius, dum private celebrat, potest accipere paramenta in ipso Altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos præter alium Ministrum communi veste indutum. — 19. Episcopus potest de jure in omnibus Ecclesiis suæ Diocesis, quantumvis exemptis, et Privilegiatis Missas, et Divina Officia, cum assistentia suorum Canoniorum etiam in Pontificalibus, celebrare, sive ab aliis, sine tamen Pontificalibus celebrari facere, et in eis habere circulos, contradictores per censuras cogendo. — 20. Episcopus extra Cathedrali etiam in Ecclesiis exemptis, Sanctæ Sedi immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diocesis existentibus, dum ibi celebrat, seu Vesperis solemnibus quacunque ex causa interest, potest sibi assumere suos Canonicos, et ibi habere cum eis circulum ad Gloriam; ad ipsum pertinet confessionem facere cum Sacerdote, incensum ponere, et benedicere, ac Benedictionem post Vesperas, vel post Missam dare. — 21. Unde Regulares tenentur in propriis Ecclesiis erigere Baldachinum Episcopo volenti ibi Pontificales functiones exercere. — 22. Non possunt tamen Episcopi in Regularium Ecclesiis, in viis ipsius Regularibus, exercere illas functiones Episcopales quæ habent mixtam considerationem honoris, et jurisdictionis. — 23. Non desunt tamen, qui tenent contrarium. — 24. Si Ecclesia Regularis et exempta sit Parochialis, potest ibi Episcopus omnes functiones Episcopales exercere. — 25. Supradicta non debent extendi ad Vicarium Episcopi, etiam absente Episcopo. — 26. Nec etiam extendi debent ad Episcopum Titularem suffraganeum. — 27. Episcopus, qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solemniter, debet uti Habitu quotidiano cum stola. — 28. Episcopus celebrans non decet, ut Prælatos, Canonicos, et alios quoscunque thurificet, et aqua benedicta aspergat. — 29. Episcopo celebranti, sive faciat Ordinationes, sive non, tenentur assistere quinque Personæ juxta formam libri Pontificalis. — 30. Episcopo celebranti debet assistere prima Dignitas in Ordine Presbyterali constituta, quocunque nomine appelletur. — 31. Episcopus volens exercere Pontificalia extra Cathedrali, potest secum aliquos de Capitulo ducere, qui sibi assistant, et administrent. — 32. Episcopo Pontificaliter celebranti in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali assistere spectat ad Canonicos Cathedralis, si adsint, et non ad Canonicos Collegiata. — 33. Episcopus debet habere assistentes Digniores, et honoratiores, et si aliquas functiones exerceat in Ecclesia non Cathedrali nec Collegiata, debent ei assistere Canonici Cathedralis, vel Collegiata, etiamsi in illis Ecclesiis sufficiens sit alioquin numerus Presbyterorum. — 34. Episcopus si in die Palmæ, una cum Capitulo, et Clero personaliter ad Monasterium Regularium accedere teneatur, debet ipse benedicere palmas privative quoad Abbatem. — 35. Episcopus nos debet cum Cappa Vesperas celebrare. — 36. Episcopus assistens divinis Officiis cum Cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare detegendo caput, sed satis ipsis manu benedicere. — 37. Episcopo assistenti divinis Officiis cum Cappa non debent Canonici ponere, et deponere biretum in ejus capite, nec isto casu ei assistere. — 38. Episcopus, qui nullum habet Episcopatum, non potest in Ecclesia sua jurisdictionali veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de licentia expressa Episcopi. — 39. Episcopus non potest ministrare Chrisma sine licentia Ordinarii loci, etiam vocatus ab inferiore intra fines Diocesis existente, etiamsi ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit ad ministrandum

Confirmationis Sacramentum; Si vero locus talis Exempti non sit intra fines Diocesis, sed Nullius, tunc potest. — 40. Episcopus potest olea Sacra Catechumenorum, et Infirmorum, si a Cathedrali abfuerit, in alia Ecclesia consecrare, et benedicere. — 41. Episcopus ex causa necessitatis potest conficere olea sacra cum minori numero Ministrorum, quam præscribatur in libro Pontificali. — 42. Episcopus in publicis Processionibus cum Cappa et Bireto debet solus incedere. — 43. 47. De Episcoporum præcedentia.

**ARTICULUS V.** — *Episcopus, quoad absolutionem, et dispensationem.*

1. Episcopus non potest absolvere a casibus, et censuris publicis reservatis Summo Pontifici. — 2. Neque ab aliquibus casibus, et Censuris occultis, et maxime ab hæresi. — 3. Potest tamen Episcopus absolvere ab aliis casibus occultis reservatis Summo Pontifici. — 4. Episcopus secundum multos potest sive per se sive per alium specialiter delegatum absolvere a Censuris occultis incursis ob violatam clausuram. — 5. Contrarium tamen tenent alii cum Fagnano, qui adducit ad hoc responsa et decreta Sacre Congregationis. — 6. Cum impeditis personaliter adire Pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, potest Episcopus directe absolvere ab hæresi, et aliis casibus reservatis. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Si impedimentum sit perpetuum, absolvuntur sine onere comparandi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere ad eundem Pontificem, cessante impedimento. — 9. Alias non comparando, elapso impedimento, incidunt in aliam similem Excommunicationem. — 10. Impediti personaliter adire Pontificem, non tenentur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinenda absolutione a casibus et censuris Papæ reservatis. — 11. Et si impediti adire Pontificem, sint etiam impediti adire Episcopum, probabilis non possunt a casibus publicis reservatis Papæ absolvi in foro conscientie a Parocho, aut ab alio Confessario. — 12. Sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus Diocesanis publicis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis. — 13. Episcopus nequit absolvere Censuratos ratione violatæ immunitatis Ecclesiasticæ. — 14. Unde Episcopus absolvens Censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidit in Excommunicationem eidem Sanctæ Sedi reservatam. — 15. Quare injungitur Archiepiscopo, qui sine dicta facultate absolvit Censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffigat Cedulae contra ipsos. — 16. Quinimo tenetur notificare sic a se absolutis non potuisse absolvere. — 17. Episcopus absolvere potest Excommunicatos ob percussionem Clerici, vel Monachi levem, etiam publicam. — 18. Excommunicatos autem ob percussionem mediocrem, et enormem potest Episcopus absolvere tantummodo si sit occulta. — 19. Et si fuerit publica, potest Episcopus ab ea absolvere, si personæ excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis. — 20. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparandi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparandi, cum primo commode poterunt, alias reincident in aliam excommunicationem. — 21. Quæ personæ censeantur impeditæ adire Pontificem. *Remissive.* — 22. Episcopus non potest concedere suo subdito, ut absolvatur in aliena Diocesi a Sacerdote non habente jurisdictionem. — 23. Nec potest Episcopus prohibere quominus suis subditus absolvatur in aliena Diocesi a Sacerdote jurisdictionem habente a suo Episcopo. — 24. Episcopus dispensare potest cum suis subditis, et in sua Diocesi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et aliis deductis ad forum contentiosum. — 25. Hinc potest dispensare in